



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De morte Conradi cellararij nostri, cap. 32.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

ostensum fuit, primum baculum abjecit, alterum ad-  
huc retinens.

## CAPVT XXXI.

**I**N monte sanctæ Walburgis sanctimonialis quæ-  
dam fuit \* Vdewolt nomine, femina bona, & lati-  
feruens in religione; hęc cūm iam agonizaret, sicut  
audiui à fororibus, quæ præsentes erāt, manum extē-  
dit contra ostium, dicens: Ecce nuncius Dei foris stat  
expectans animam meam, sicque post modicum redi-  
didit spiritum, ab eodem angelo deducenda in para-  
disum. Hoc etiam scias, quod sāpe à mortuis viui vo-  
cantur. Verbi causa.

## CAPVT XXXII.

**A**nte paucos annos Heidenicus sacerdos, & viui à  
cellarius noster maior, in somnis apparens *moriuis*  
successori suo Conrado, tunicam propriam *vocan-*  
*ei tradidit induendam; quam cū ille induisset, infir-* *tur.*  
mitate præuentus, post dies paucos defunctus est.

## CAPVT XXXIII.

**N**ondum annus elapsus est, quod Lambertus mo-  
nachus noster, nocte dominica in choro obdor-  
miens, Richvvinum nostrum Cellerarium, ante  
aliquot annos defunctum, chorum intrantem cōspe-  
xit: & cūm annueret ei manu, dicens: Frater Lamber-  
te, veni simul ibimus ad Rhenum. Ille sciens eū mor-  
tuum, renuit, & ait: Credite mihi, non ibo vobiscum.  
A quo cūm repulsam pateretur, ad oppositum chorū  
severtens, quendam senem monachum Conradum  
nomine, qui circa quinquaginta annos militauerat in  
ordine, simili signo ac verbo vocauit: quem ille mox  
secutus est, caputio capitī imposito. Eadem die post  
cēnā, cū Prior quosdā ex nobis vocasset, & idē Cōra-  
dus præsens esset, ait ei, me audiēte, iā dictus Lābertus:  
Verē dñe Cōrade, vos citò moriēmini: in hac enim cu-  
culla vidi vos hac nocte Richvvinū sequentē, referens  
ei visionem per ordinem: cui ille respondit: Non curo,  
modò vellem esse mortuus. Sequenti die, si bene me-  
mini, infirmare cœpit, & post breue tempus defun-  
ctus, in eadem cuculla sepultus est.